



Rheg. Rhen. Rhod. SCRIPTOR. MEDICOR. Lib. XVII.

Rhodijs 59

De eò extant

Medicinæ Exercitamenta, ex selectis Linguae utriusque Autoribus illustrata. Lugduni, apud Barth. Molinæum, 1564. in fol.

RHEGINUS (*Nicolans*) Calaber, Medicus magni nominis. Claruit sub Ludovicò Bavarò Imperatore A. C. 1336. Wolfg. Justus in Chronol. Medic.

Galenì, de usu Partium corporis humani interpretatus est. Item an omnes particulæ animalis, quod fœtatur, fiant simul. Item de causis Procatarticticis; De Anatomia oculorum, De Gynæceis, id est, Passionibus Mulierum. Nicolai Alexandrini, de compositione Medicamentorum, è Græcò in Latinum transtulit.

RHENANUS (*Johannes*)

De eò habentur

Solis è puteò emergentis, sive, Dissertationis Chymico-Technicæ, libri tres. In quibus totius operationis Chymicæ Methodus Practica: Materia Lapidis Philosophici, & modus solvendi ejus, operandique: Ut & Clavis operum Paracelsi, quæ abstrusa explicantur, deficientia supplentur, continentur. Cum Præfatione Chymicæ veritatem asserente. Francof. apud Anton. Hummum, 1613. in 4. apud Conr. Eifridum, 1623. in 4.

Syntagma Harmoniæ Chymico-Philosophicæ, sive, Philosophorum antiquorum consentientium, hætenùs quidem plurimùm desideratorum, sed nondùm in lucem publicam editorum. Collectum & distributum in certas Decadas. Francofurti, apud Conradum Eifridum, 1625. in 8.

Dissertatio Chymico-Technica, in quâ totius operationis Chymicæ Methodus Practica clarè ob oculos ponitur, in Academia Marpurgicâ ad disputandum proposita. Marpurgi Cattor. apud Kitzelium, 1610. in 4.

Urocriterium Chymiaticum, sive, Ratio Chymiatica, exactè judicandi urinas ex tribus principiis activis, & unò passivò, hætenùs neglectis, Aphoristicè ostensa. Marpurgi Cattor. apud Kitzelium, 1610. in 8. Francof. apud Anton. Hummum, 1614. in 8.

Opera Chymiatica. Francof. apud Conr. Eifridum, 1635. in 8. apud Johan. Pressium, 1641. in 8. Francofurti, 1668. in 8. Ibid. 1676. in 8.

RHODION (*Eucharis*) Medicus Francofurtensis ad Mœnum, simplicium Indagator non inegans. Vixit A. C. 1548. Justus in Chronol. Medic.

De eò habetur

De Partu hominis, quæ circa ipsum accidunt, adeòque de Parturientium & Infantium morbis, atque curâ, Libellus. Parisiis, 1535. in 8. Venetiis, apud Bernardinum Bindonis, 1536. in 12. Francof. apud Christoph. Egenolphum, 1551. 1556. in 8.

RHODIUS (*Ambrosius*) Natus Kambergæ municipio in Saxonia, Wittembergæ vicino, annò Christi 1577. Patre itidem Ambrosiò, illius civitatis Consule, Tych. Braheï, & Johan. Kepleri in studiis Mathematicis discipulus. Circa ann. 1609. Mathematica Wittebergæ publicè docere jussus est; creatus etiam in eadem Universitate Medicinæ Doctor proximè sequente annò, nempe 1610. Obiit ibidem apoplexiâ forti, annò Christi 1633. ætatis suæ 56.

De eò habentur

Disputationes supra Ideam Medicinæ Philosophicæ Petri Severini, Dani: Quibus loca illius Libri obscura & difficilia illustrantur, Adversarii refutantur, & multi discursus ex intimis Naturæ adytis deprompti moventur. Hafniæ, apud Salom. Sartorium, 1643. in 4.

RHODIUS (*Johannes*) Danus, Hafniensis;

De eò habetur

De Aciâ, Dissertatio, ad Cornelii Celsi mentem, quâ simul universæ Fisæ Tabulæ ratio explicatur. Patavii, apud Paul. Frambottum, 1639. in 4. secundis curis ex autographò Authoris auctior & emendatior, cum Judicis Doctorum, edita à Thomâ Bartholinò: Accedit de Ponderibus & Mensuris ejusdem Authoris Dissertatio, & Vita Celsi. Hafniæ, apud Petrum Hauboldum, 1672. in 4.

Notæ in Scribonium Largum, de compositione Medicamentorum; cum Lexico Scriboniano. Patavii, apud Paulum Frambottum, 1655. in 4.

Analecta & Notæ in Septalii Animadversiones & cautiones Medicas. Patavii, apud Paulum Frambottum, 1652. in 8. Ibid. 1659. in 8.

Observationum Medicinalium Centuriæ tres. Patavii, apud Paul. Frambottum, 1657. in 8. Extant etiam cum Petri Borelli Historiarum & Observationum Medico-Physicarum Centur. IV, Francofurti & Lipsiæ, apud Laurent. Sigismundum Cornerum, Bibl. Lips. 1676. in 8.

Mantissa Anatomica. Extat cum Thom. Bartholini Historiar. Anatomic. & Medicar. rarior. Centur. V. & VI. Hafniæ, apud Petrum Hauboldum, 1661. in 8.

Francisc. Frizimelic. de Balneis Metallicis arte parandis Tractatum edidit, Patavii, 1659. in 8.

De ipsò extant in *Actis Hafniens.* vol. 4. Obsev. serv. 28.

*Observationes Medicæ posteriores ex Schedis Manuscriptis D. Johannis Rhodii, Hafniensis.*

*Lipothymia*, & anxietas cum dolore Ventriculi à vaporibus uteri malignis cum excrementis alvi viscosis admodum & fœtidis, nullis remediis proficientibus, in Laconico post decoctum Ligni S. sudavit cum aliquo fructu. Sed quartò die quum idem tentaret, fractis viribus, post dimidium horæ expiravit 12. Jun. 1635.

*Asthmaticus* quidam 50. annorum naturæ beneficiò per urinas sæpe judicabatur. Urgente Orthopnœâ & dolore circa ventriculum, per diès 3 integros copiosè lotium prodiit, die 4. repente obiit. Apoplexiâ interisse potius quàm Catharò censebatur, quia sine sensu & motu cum stertore. Medicorum quidam credebant ipsum vicissè morbum, si naturæ motum non impedivisset acetum scilliticum cum ol. anisî sexies quotidie exhibitum.

Annò 1634. Lucæ in Hetruria Virgo honesta 25 agens annum calidâ & humidâ tum cerebri, tum hepatis temperie prædita, vigente cæne, alba uteri ferè perpetua & familiari prægressa fluxione, cum levi febricula, tonsillarum inflammatione, cum imminutis menstruis, hæmorrhoidum interiorum dolore, ventriculi & hypogastrii tumore vexata, conqueri cepit de tristis meiendî sensatione. Indè urina subito prodiit colore vinosa, tam rubro quàm albo, & odore. Eademque persistit etiam sanguine vacuato ad menses imminutos;

minutos, nisi ubi dolore hæmorrhoidum cessante menses fiant restituti. Tum enim natus urinæ color, ac integra valetudo redit. Quæ perseverante Ann. 1635. usque ad Æstatem Anni 1636. excitatis denuò post auctum cauma ventriculi, hypogastrii & hæmorrhoidum cruciatibus, cum difficili mictione malum hoc revertitur. Sitis interim nulla, nec macies, aut Febris, nisi Ephemera semel aut bis ex dolore hæmorrhoidum: non etiam aucta lotii quantitas, nec mictio celerior, sed naturalis alloquin, & statò 6. 8. vel decem horarum intervallò ab assumptò potù celebrata. Potum autem inalteratum excerni, non est necessarium Diabetæ constitutum, sed consecutum; cui propria, velox & copiosa lotii excretio, præcedente siti & colliquatione non ex improvisò, ut hæc mictio, quæ solùm per similitudinem diabetæ nomen meretur. Et quidem hæmorrhoidum dolore affectis urinam mutari contingit. Sed rariùs observatur, ob neglectam urinæ inspectionem nullà id urgente Febre. Quam tamen in muliere lienosà, cui venæ satis amplæ, primùm vinosam vidit, deindè 5. vel 6. horis post assumptum jusculum ex herbis alterantibus, viridem notavit *Franciscus Maria Lucensis*, qui hunc *D. Sylvatico* enodandum misit casum. Is verò ejusmodi mictionis vinosæ causas constituit. 1. Hæmorrhoides dolentes, quæ diùrgerent, & phlogosi tentantur. 2. Venas & Arterias apprimè latas. 3. Stomachum dolentem, qui coctionem moratur. 4. Tardam è ventriculo potùs profectionem, intestinis pituità infarctis.

Ad Ani Procidentiã suffitus ex res. pini.

Annò 1637. 27. Aprilis narrabat mihi Guil. *Sejerus* frequentis & longò usù Citri, succo excepto, masticatis etiã foliis, se ab Hypochondriacò affectù liberatum. Itemque, sub consiliò R. P. Flammiam Ordinis Crucigerorum Patavii, qui facie olim flavà nunc floridus rectissimè vivit.

*D. Soncinus* sanatos vidit Hydropicos qui ter in mense usi pulv. rad. Mechoacan. Clyster. ex Bened. & Hieræ spec. Idem Pæoniam marem ad Epilepsiam commendat, non sceminam.

*Dominicus Sala* in Prælectionibus monuit, Mediolani integram familiam Cassiæ usù periisse.

Matrona Nobilis, quæ nè quidem aceti odorem ferre potuit, exhibitis Oxymell, unc. ij. interit. Id. *Sala*.

Athletis imminet Morbi periculosi, non quòd iis vasa rumpantur, quæ aquis thermalibus immensum extenta vidit *Dom. Sala*: sed per accidens, ob impeditam nativi caloris eventilationem, qui indè suffocatur ac obruitur. Unde Syncope, Apoplexia &c.

Aqua Hydropicorum subito genita potest unicà vice evacuari, v. g. ex aquis thermalibus, quod *Elaterio* factum à *Dom. Sala*.

Medicus *Urina* suspensum consideraturus, pallium ex partè vitri admoveat: sedimentum, fundò, nec ad latera inspiciat, sed à superficie. Si urina intra duas horas non deponat sedimentum, dubitari poterit num ea bruti. Id. *Sala*.

*Dom. Sala* vidit mulierem 14. dies sine alimentis supersistem.

Gravida quædam, ab eodem visa, *Syncope* obnoxia, assumptis aliquot gr. salis evasit. Castoream quoque præfens *syncope* remedium.

Victus tenuis confert, non ratione virium, sed causæ morbificæ. *Idem*.

Syrupus de papavere Maniacis per integrum mensem sine noxà propinatus. *Idem*.

Aqua thermalis Maniacis nocet siccando,

Lac asini in quo macerata rad. helleb. pro Errhinò in Maniã.

Lien Arterias abundans magis evacuari videtur per Arterias emulgentes quàm per Venas. Et tunc urinæ sunt nigrae.

Qui nunquam per nares purgati, his sternutatoria sunt periculosa, ob metum Epilepsiæ. *Idem*.

Evacuatio totius per affectam partem expendenda, num plus commodi, quàm damni afferat.

Capucinus quidam Colicis doloribus cum vomitu Chyli vexatus, Clysteres etiam sine excrementis reddidit. In Cadavere dissectò intestinum Colon excrecentiã carnosã interceptum, quæ nata videtur ab affluxu sanguinis ex dolore, cujus copiam debilis calor intestinorum non potuit discutere.

*Dom. Sala* vidit Empiricum in Ophthalmiã plurimùm profecisse vitriolò.

*Joh. Baptista Soncinus* crystallum purum Bilem ceruginosam vacuare deprehendit.

*Dom. Sala* observavit somnum post accessionem in febre malignã obortum plerùmque lethalem.

Insignis alvi durities nullis solvi potuit medicamentis, etiam validissimis. *Soncinus* Mannæ unc. iij. præbuit. Indè post 4. horas alvi fluxus intra paucos dies lethalis.

*Dom. Sala* notavit Inflammationes intertas terminari in febres longas ac lentas, quarum causæ Medicis obscuræ.

Exhibitis feri lactis Capr. dep. lib. ij. cum fol. Sennæ Drach. ij. febricitans sedatà siti meliùs dormivit.

Nocturnus aër æstate fervidiori potest admitti, si is purus, sine ventò ac pluviis, & per os atrahatur, corpore benè tectò. *Idem Sala*.

Serum Caprinum depur. maximi usùs in calidò corpore, si alternatim reddatur dejectorium admixtò polypodidò, alternatim diureticum add. sem. melon. B. Sylvatic.

Sudor ità optimè evocatur. Horà unà post assumptum ex lignò buxi, exiguà quantitate ligni f. & falsæpar. decoctum, æger in balneum aq. calidæ immergatur per  $\frac{1}{2}$  horæ.

*Sonchus* Cichorio magis probatur Ben. *Sylvatico* quòd minùs amarus. Buxus eadem in decoctione ad capitis exsiccationem laudatur.

Ann. 1637. mens. Majò vidi Venetiis Puerum 13. annorum, natum prope Mediolanum, habitùs satis densi & rubri, capillis nigris, sine femoribus, quorum locò binæ veluti mammae suis papillis formatae. Genitalia erant integra. Manus sinistra Monodactylos. Dextrà scalam ascendebat, cui innixus corpus variè rotabat.

Vitulus quoque marinus sexûs scæmenci ibidem visus, Piscibus victitans. *Johan. Lucius* asserbat eundem esse quem nos Rosmar appellamus.

Jasminum luteum ex insitione in Gemistam, ibidem apud *Hartigium*.

Eòdem annò mense Augusti in vicò D. Francisci prope Macopium natus puer superiori ac inferiori maxillà nonnullis dentibus perspicuis, cui nomen Francisci Antonii inditum. Pater Bartholomæus. Mater 18. Augusti humata; quocum *Schlegelio* Hamburgensi puellam inspexi.

Ann. 1638. Camilli Pareschi Patavinus Chymicus jam senior è carceribus liberatus, quem pediculos mercuriò inunctos amoliretur, in scedam scabiem cum impotentia motûs incidit.

Puer trimus bonæ constitutionis, Lucie Basfanensis

fanensis nepos, impuñè haurit atramentum scriptorum, nec quicquam persequitur præter ardorem gulæ leuisculario.

Hæc æstate Variolæ frequentissimæ, non tamen lethales pueris, in quibus non rarò Petechiæ præcessere, quæ in pustulas abiere. Aliis facies circa os crustis fœdata, qui ab variolis immunes fuerunt. Aer calidus & siccus fuit.

Annò 1639. Hiems frigida & sicca. Ver calidum & siccum. Hieme variolæ atque efferae frequentes: Mense Aprili Anginæ, Pleuritides, Febres malignæ cum petechiis, etiam per Æstatem.

XIV. Julii Franciscò Salæ Jo. Dominici filio natu majori copiosè absque Febre eruperunt efferae: à quibus mox convaluit.

Bufonis exsiccati & adusti pulvis ulceribus crurum desperatis inspersus certò *Othonis Langemack* experimentò ea perfanat.

Abrahamus Heiermans olim ex hiberna u Oceano Navigatione mirum passus tumorem pedum, solo terebinth. Emplastro restitutus.

In extremo capitis dolore cui medebatur *Harrigius*, consiliò *Mich. Angel. Rotæ* ac Hornani Abrahamo Heiermans vesicatoria fuere admota bono successu. Assumptis pilul. coch. cum tæniam excrevisset, dolor nonnihil remisit; laconicò tandem sublatus.

1641. Communis ruptorii gr. i. cum adipis humanæ purificatæ q. s. ad linimentum, fonticulorum labra sine dolore deterit. Quod Empirico Neapolitano Venetiis est secretum.

Casp. Scioppius longis Hæmorrhoidum doloribus cum fluxu vexatus, adhibitis frustra Clarissimis in Italia Medicis, Monachi cujusdam Dominicani consilio, cum suâ urinâ calidâ partem lavisset, fumumque sulphuris per tritorium excepisset, planè convaluit.

Sp. Vini cum succo limonum, singulârè ad calculum. Gilbertus Bodri Gallus Venetiis.

1645. 14. Aug. Clavus palpebræ in Abbate Roberto Papafara meo tentamento sublatus succò sempervivi majoris, bis terque illitò.

Veridarii Itali fordida equorum ulcera optimè curant cataplasmate ex resina laricea cum pipere confuso permista.

1647. 14. Maii Franciscus Pona Medicus Veronensis suasit ad coxendicis robur linimentum ex oleo flor. arant. part. iij. nuc. mosch. ol. p. j. & balsam. orient. p. j.

In principio gravissimæ contusionis à lapsu ex alto. ℞. ung. de alabastr. ol. ros. compl. amygd. dulc. ā. p. æq. Illustriss. Prætoris Gabrielis Emii filii optimè adhibuit D. *Augustinus Schortus* Patav.

Æstas hõc annò pluvia. Variolæ frequentes, sed benignæ satis; Mense Augusto locustæ Foro Julio graves, Autumnus dysenteris non valdè perniciosis fœtus.

1649. 18. April. in Pharmacopolio ad D. Carolum Patavii Scorpionem vidi bicornem, qui injectum bufonem ictu mox confecit. Cornua per quietem retracta.

Vitriolum Cyprium salivâ madefactum decrescente Luna, solò contactu exterit Verrucas experimento Amici, à quo accepi 25. Novemb. 1652. Idem.

A. 1653. eodem die asseveravit manuum perfrictionem præcaveri ac tolli oleo succini albi illito.

Ad *Impetiginem seram*. Ung. ros. malvæ succo temperatum, Cerussa, Mercurii præcipitati parum. Margaritæ Cleris Patavinæ probatum.

Ad *Phyllanas* oculorum à Variolis Principis *Mangesi Bibl. Script. Medic. Tom. II. Pars II.*

Columnæ filio Romæ *Cardanus* cum successu commendavit rorem brassicæ infidentem, referente *Andrea Argolo* Patav. 15. Augusti 1656.

Hoc ipso annò Venetiis *Jansorte* Medicus *Vigilias* nullis cedentes remediis solvit decocto malvæ in jure carnis parato.

Ad *Quartanam* efficac. *Antonius Sala* Medicus Patavinus Quartanam à melancholiâ non aucta, præmissis universalibus, tollit pulv. betton. ℞j. tribus diebus continuis exhibitò, in vino albo generoso ad sudorem.

*Ibidem Observ. 34. ubi statim Bartholinus.*

Non gravabor Medicorum in gratiam hic annectere Observationes quasdam ex Schedis beati nostri Joh. Rhodii, quæ inter disjectas meas Chartas latuerunt, quas ex Prævotii ore hauerat.

Nullus sudor corpori sanissimo naturalis, cum urinæ & sudoris materiâ eadem. Urina verò naturaliter ad vesicam fertur.

Urina tendis cum magnis symptomatibus, & summâ virium dejectione, lethalis. Naturam enim coctioni insufficientem & symptomata denotat. Idem de crassa censendum.

Excretiones symptomatice interdum continuatæ cum robore virium morbum ad salutem finiunt: materiâ evacuatâ & absumptâ beneficiò caloris prædominantis. Quod nuper contigit filie Caroli Lazari Magistri Sphæristeri, quæ in Febre continuâ urinas reddidit semper turbidas, usque ad morbi declinationem universalem, quam nunc attigit.

Parochus S. Sophiæ per Febrem semper urinam excernit nigram; usque ad remissionem morbi universalem.

D. Gambari parens à prima pueritia usque ad annum ætatis 17. urinam semper habuit nigram; inde ad annum 52. quò mortuus, semper lacteam, etiam integrâ valetudine.

Urina in aërem projicienda, quoties opaca, ut ex refractione, post dissipationem, color manifestetur. Quod annò Christi 1626. Dominum *Sanctorium* fecisse vidi Venetiis.

D. Prævotius in Ill. Petro Capello per octiduum vidit omnimodam urinæ suppressionem, ab utriusque ureteris obstructione, ex calculo sine magno dolore, quòd ii necdum in ureteres detrusi; qui casus rarissimus, cum tumore venarum insigni in partibus inferioribus dum staret erectus, quando verò decumbens crus alterum elevabat, etiam partes superiores tuebant. Expulsis tandem vi medicamenti duobus calculis urina copiosè profuebat. Hypogastrii tumor nullus tamen erat, ut in urinæ suppressione à vesicæ calculo.

Figuram sedimenti Pyramidalem adscriptit *Prævotius* calori, qui partes resolutas ad superiora promovet, retentis versus inferiora crassioribus.

In Excrementis D. *Vigonæ* toto morbi decursu qui erat 90. dierum, in superficie generabantur vermiculi magnitudine pediculi. Non itaque excernebantur, per alvum quin non erant fecibus permisti.

Notâ. Vermes urinæ etiam extra corpus produci à materiâ putredinosâ. Qua de re ante benedictum in consultatione pro quodam Polono.

Mulier Pleuritica in vico S. Maximi 20. diebus judicata excretionem meri puris per sputum & urinam & alvum, adhuc sana superest.

Mucosum urinæ contentum non solum, nec omnium renum aut vesicæ ulceri convenit, adeoque etiam ex superioribus partibus derivatur. Expe-



rientia enim contrarium docet. Ità D. *Sennertus* vidit ejusmodi sedimentum tenax & mucosum renibus & vesicâ illæsis. Idem bis observavit *Prevotius*.

Primum in D. Petro Gennaro Presbytero, qui ante sexennium suæ valetudinis causâ Patavium accessit, postquam triennium Ischuriâ laborasset cum urinæ ardore, & summâ difficultate, ac gravitatis sensu in vesica veluti plumbei ponderis, ut non nisi cruribus elatis mejeret. Sedimenti mucosi ea erat tenuitas, ut à fenestris cubiculi in alto siti ad terram continuè pertingeret. Idque quotidie ad fb. iij. prodit, certo argumento, non fuisse è renibus aut vesicâ. Cùm tandem eæ partes à tanta excrementi copia colliquatæ fuissent. Hic tandem urinæ suppressione Patavii sublatus. In ejus cadavere nihil p. n. inventum, præter mucum in renibus, ureteribus & vesica.

Similis casus erat tribus abhinc annis Ludovici Federici Nob. Brixiani, qui dum puer à fratris tergo diebus canicularibus equitando iter ageret, incalescentibus à Solis fervore renibus sanguinem minxit. A quo symptomate liberatus, postea anno circiter ætatis 20. cœpit consistari Ischuriâ, quâ tandem Patavii in Borgo Zucco extinctus: sed eventus à priore dissimili. Etenim intra duas horas scrotum in magnitudinem capitis intumuit cum schifro. Undè subito gangræna & mors ipsa. In defuncti corpore nihil vitii, præter mucum in vesica & ureteribus.

Sedimentum flocci speciei in duobus viris, in fœminis nunquam vidit D. *Prevotius*.

Pus è vesica excretum tenax est: è superioribus partibus non item.

Certa urinæ ab aliis liquoribus signa distinctiva duo sunt. 1. Contentum, quod urinæ proprium; secus quàm aliis liquoribus. 2. Odor virosus: qui tamen in brutorum urinis intensior. Reliqua signa ab aliis proposita sunt fallacia. Neque enim sola urina emittit perspicua, & cominus turbida. Quod idem in vino deprehenditur.

Oleum quò urina exploratur, in Antro Magico Zimaræ extat.

#### Signa mortis ex *Sanctorio*

1. Urina nigra quoad substantiam, non quoad contentum, quia hæc mala non est. Nigra quoad substantiam fuit lethalis in Heraclide, Orophane, & Melidia.

2. Corona nigricans in nube circulari urinæ significat humores combustos, quia petunt cor & cerebrum.

3. Urina nullum habens odorem. *Avicenn.* 2. prim. doc. 3. cap. 4. & significat coctionem in hepate esse ablatam.

Notat tamen *Avicenn.* cap. 3. ejusd. doct. quòd signa mala in urina debent esse permanentia. Et *Gal.* 2. præf. com. 26. docet hæc verba loquendo de optima urina; si inter coctas urinas nulla cruda incidit, ea optima est.

Colliquationes in urinis significant solvi humidum radicale.

#### RHODIUS (*Nicolaus*) Scillacæus.

##### *De eo extant*

Redargutiones in Ferdinandum Cassanum pro Altimarò, & Joh. Andrea Nola, Protoniata: Quibus non tantum vera Altimari positio de Tertianâ exquisitâ, & de sedimentò celebratur; sed quamplurimi quos Ferdinandus Cassanus committit errores, manifestantur. Venetiis, apud Franciscum Pampazetum, 1567. in 8.

RHUMELIUS (*Joh. Conradus*) Natus Neogoræ Palatinatûs Superioris Oppidò, Ann. C.

1597. Patre homonymò, itidem Medicinæ Doctore, ac Poëtâ Laureatò: constitutus primùm Medicus Castrensis, ac demùm Altdorfii 1630. Medicinæ Doctor creatus, annòque insequente in Collegium Medicum Noriberg. receptus, in eadem civitate feliciter Praxin exercuit, simulque Principi Anhaltino, Augusto, à Consiliis Medicis fuit. Obiit Noribergæ A. C. 1661. ætatis suæ 64.

##### *De eo habentur*

Arthritis errans. Noribergæ, ap. Paulum Kaufmannum in 4.

Historia morbi, qui ex castris ad rastra, à rastris ad rostra, ab his ad aras & focos, in Palatinatu superioris Baviaræ penetravit annò 1621. & permansit 1622. & 23. Norimbergæ; apud Sim. Halbmayrum, 1625. in 8.

Prophylaxe Medico-Practica Luis Epidemiarum *ἰγυσιφαιλόνοση*, exhibita Civitatibus, Dynastiis, Collegiis, Civibus: unà cum Apotrope, id est, Centuria curationum Medicorum feliciter, cooperante Deo, factarum in Novo-foro septemviralis Palatinatûs. Ibidem, apud eundem, 1624. in 8.

Loimographia. Ambergæ, apud Johannem Schonfeldium, 1626. in 8.

Partus humanus, sive Dissertatio perbrevis de humani partûs naturâ, temporibus, & causis; ex meditullio veræ Medicinæ Theoricæ eruta, & concinnâ Methodò proposita. Ibid. apud Simonem Halbmayrum, 1624. in 8.

Theologia Vegetabilis; carminicè scripta. Noribergæ, apud Simonem Halbmayrum, 1626. in 8.

Philosophia Animalis, Vivario, Aviario, Natatorio recensita, carminicè scripta. Noribergæ, apud Simonem Halbmayrum, 1630. in 8.

#### RHUMELIUS (*Joh. Pharmundus*)

##### *De eo habetur*

Compendium Hermeticum, de Macrocosmo & Microcosmo, totius Philosophiæ & Medicinæ cognitionem breviter & compendiosè complectens. Additum est Dispensatorium Chymicum novum de verâ Medicamentorum Præparatione. Francof. 1635. in 12.

#### RHYNE (*Guilielmus ten*)

##### *De eo extant*

Meditationes in Magni Hippocratis Textura XXIV. de veteri Medicina; quibus traduntur brevis *Πνευμαλογία*, succincta *Φυσιολογία*, intercalaris *Χυμολογία* &c. cum Additamento & variis hinc laciniis de salium &c. Figuris. Lugduni-Batavorum, apud Johannem à Schuylenburgh, 1672. in 12.

Excerpta ex Observationibus Japonicis, Physicis &c. Frutice Theæ. Item Fasciculus rariorum Plantarum, ab ipso in Promontoriò Bonæ Spei &c. collectarum, ex India ad Jacobum Breynium transmissarum. Extant cum Jacobi Breynii Exoticarum aliarumque minùs cognitarum Plantarum Centuriâ primâ. Gedan. apud Authorem, 1678. in fol.

Dissertatio de Arthritide: Mantissa Schematica: de Acupunctura: & Orationes tres, I. de Chymicæ ac Botanicæ antiquitate & dignitate: II. de Physiognomia: III. de Monstris: Singula ipsius Authoris Notis illustrata. Londini; apud R. Chifwell, 1683. in 8.

*De eo etiam habetur in Actis Lipsiensibus, Annò 1684. p. 338.*

*Dissertatio de Arthritide: Mantissa Schematica:*